OFFICIVM S. RAYMVNDI NONNATI CONFESSORIS.

Ordinis B. MARIAE de Mercede Redemptionis Captiuorum, & S.R.E. Cardinalis Diaconi Tituli S. Euſtachij.

SEMIDVPLEX.

A S.Rit. Congr. recognitum, & approbatum.

De mandato Sanctiſſimi D. N. CLEMENTIS diuina diſpoſitione Papæ IX. in Breuiario Romano apponendum.

Et ab omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui ad horas Canonicas tenentur, recitandum ad libitum die 31. Auguſti.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE



ROMÆ, Ex Typographia R. Cameræ Apoſt. 1669.

Superiorum permiſſu, & Priuilegio.

Digitized by Google

Die 31. Auguſti

IN FESTO S. RAYMVNDI NONNATI CONFESSORIS.

Ordinis B. MARIAE de Mercede Redemptionis Captiuorum, & S.R.E. Cardinalis Diaconi Tituli S. Euſtachij.

Semiduplex ad libitum.

Oratio.

DEvs, qui in liberandis Fidelibus tuis ab impiorum Captiuitate Beatũ Raymundum Nonnatum Confeſſorem tuum mirabilem effeciſti, eius nobis intercesſione cõcede, vt à peccatorum vinculis abſoluti, quæ tibi ſunt placita liberis mentibus exequamur. Per Dominum noſtrum, &c.

Lectiones primi Nocturni.

Beatus vir, qui inuentus eſt ſine macula, &c.

Vt in Communi Confeſſ. non Pontif.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio IV.

RAYMVNDVS Nonnatus cognomento dictus, quia præter communem naturæ legem è mortuæ matris diſſecto latere in lucem eductus fuit, Portelli in Catalonia pijs, & nobilibus parentibus ortus ab ipſa infantia futuræ ſanctitatis indicia dedit. Nam puerilia oblectamenta, mundique illecebras reſpuens, ita pietati operam dabat, vt omnes in pucro adultam virtutem

rem admiraretur. Creſcente verò ætate litterarum ſtudijs incubuit: ſed mox iubente Patre vitã ruri agens ſacellum Sancti Nicolai in Portelli finibus ſitum crebrò adibat, vt ſacram Deiparæ Imaginem, quæ in eo ſumma fidelium veneratione, etiam nunc colitur, viſitaret. Ibi effuſſus in preces ipſam Dei parentem, vt ſe in filium adoptare, viamq; ſalutis, ac ſcientiam Sanctorum edocere dignaretur, enixè deprecabatur. Tu autem Domine miſerere nobis.

℞. Honeſtum, &c.

Lectio V.

NEc defuit votis eius benigniſſima Virgo, ab ipſa enim intellexit gratiſſimum ſibi fore, ſi Religionem ſub titulo de Mercede, ſeu de Miſericordia Redemptionis Captiuorum (ea ſuggerente) nuper fundatam ingrederetur: Qua monitione percepta Barchinonam ſtatim profectus illud tam præcellentis erga proximum charitatis inſtitutum amplexus eſt. Regulari igitur militiæ adſcriptus virginitatem, quam pridem Beatæ Virgini conſecrauerat, perpetuò coluit, cæteriſque virtutibus enituit, charitate præſertim erga Chriſtianos, qui ſub poteſtate Paganorum miſeram in captiuitate vitam degebant. Hos vt redimeret in Africam miſſus, cum iam multos à ſeruitute liberaſſet, ne conſumpta pecunia alijs item in proximo abnegandæ fidei diſcrimine conſtitutis deeſſet, ſe ipſum pignori dedit: ſed cum ardētiſſimo ſalutis animarum deſiderio ſuccenſus, plures Mahometanos ſuis concionibus ad Chriſtum conuerteret, in arctam cuſtodiam à Barbaris coniectus, varijſque ſupplicijs cruciatus, mox labijs perforatis, & ſera ferrea clauſis crudele martyrium diù ſuſtulit. Tu autem Domine, &c.

℞. Amauit, &c.

Lectio VI.

OB hæc, & alia fortiter geſta ſanctitatis eius fama longè, latèque diffuſa eſt, qua permotus Gregorius Nonus in ampliſſimũ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Collegiũ Raymundum adſcripſit: ſed vir

Dei

Dei in ea dignitate ab omni pompa abhorrens Religioſæ humilitatis tenaciſſimus ſemper fuit. Romam verò pergens ſtatim ac Cardonam peruenit, extremo morbo confectus Eccleſiaſticis Sacramentis muniri ſummis præcibus poſtulauit. Cumque morbus ingraueſceret,& ſacerdos diutiùs tardaret, Angelorum miniſterio ſub ſpecie Religioſorum ſui Ordinis apparentium ſalutari viatico refectus fuit: Quo ſumpto, & gratijs Deo peractis, migrauit ad Dominum Dominica vltima Auguſti, anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo. Mortui corpus, cum circa locum ſepulturæ cōtentio orta eſſet, arcæ incluſum,& Mulæ cœcæ impoſitum ad ſacellum S. Nicolai Dei nutu delatū fuit, vt ibi tumularetur, vbi prima iecerat ſanctioris vitæ fundamenta. Illic conſtructo ſui Ordinis Cœnobio à cōfluentibus voti cauſa ex vniuerſa Catalonia fidelibus Populis honoratur; varijs miraculis, & ſignis glorioſus. Tu autem Domine, &c.

℟. Iſte homo, &c.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio ſancti Euangeli ſecundum Lucam.

IN illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Et reliqua.

Homilia S. Gregorij Papæ.

Sancti Euangelij fratres chariſſimi, &c. *vt in Communi Confeſſ. non Pontif.*

Miſſa. Os iuſti, &c. *de Communi Confeſſ. non Pontif.*

Oratio. Deus qui, &c. *vt ſupra*.

Euangel. Sint lumbi veſtri præcincti, &c.

Vrbis, & Orbis.

SANCTISSIMVS D.N. CLEMENS Papa IX. ad preces Catholicæ Maieſtatis, ac etiam Sac. Collegij Eminentiſſimorum, & Reuerendiſſimorum DD. Cardinalium benignè inclinatus indulſit, vt Officium S. Raymundi Nonnati Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis vltimo loco à ſan.mem. Alexandro VII. dictæ Religioni conceſſum, deſcribatur in Calendario Romano ab omnibus, qui ad horas Canonicas tenentur vtriuſque ſexus recitandum ſub ritu ſemiduplici ad libitum. Hac di 13. Auguſti 1669.

M. Epiſc. Portuenſis Card. Ginettus.

Loco ✠ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Congr. Secr.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Vrbis, & Orbis.

SANCTISSIMVS D.N. CLEMENS Papa IX. ad preces Catholicæ Maieſtatis, ac etiam Sac. Collegij Eminentiſſimorum, & Reuerendiſſimorum DD. Cardinalium benignè inclinatus indulſit, vt Officium S. Raymundi Nonnati Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis vltimo loco à ſan.mem. Alexandro VII. dictæ Religioni conceſſum, deſcribatur in Calendario Romano ab omnibus, qui ad horas Canonicas tenentur vtriuſque ſexus recitandum ſub ritu ſemiduplici ad libitum. Hac di 13. Auguſti 1669.

M. Epiſc. Portuenſis Card. Ginettus.

Loco ✠ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Congr. Secr.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE